



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

30. Relatio cum iudicio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

berem, quod ita & feci, ut si apud me de ipsis rebus in rationes vel in iudicium introieris, & ipsa causa inter nos legibus definita fuerit, & mea iniusta fuerit accusatio comprobata, de eadem causatione omnique tempore quietus resideas, & sumptus vel expensas superius nominatas, quibus pro necessitatibus tuis me compellente visus es expendisse, secundum legis ordinem, transacto litis tempore, partibus tuis cogar restituere. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria subter firmavi & bonorum virorum roborandam decrevi. FINIT.

*Et si de homicidio accusatus processerit, secundam hanc sententiam inscripto celebretur.*

Quicumque alium de homicidij crimine periculosa vel capitali objectione pulsaverit, non prius à iudicibus audiat quam se similem poenam quam reo intendit conscripserit subiturum. Et si servos alienos accusandos esse crediderit, se simili inscriptione constringat futurum, ut aut supplicia innocentium fervorum aut poena capitis sui aut facultatum amissione compenset.

*Relatio cum iudicio.*

XXX. Auctoritate legis præceptum est ut in toto litis termino requiratur per quem orta est contentio. Et si quis ad rapinam faciendam adgreditur, aut iter agentem insidiaverit, aut domum alterius nocturnus spoliaverit, mors animæ ipsius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine ille iudex veniens in loco nuncupante illo, sub die illo, unâ cum bonis hominibus, ad locum accessionis, ubi aliquis homo nomine ille quondam interfectus jacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuisset, sed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipsos uccos cucurrerunt quando jam dictus homo ibidem interfectus fuit, taliter testimonium præbuerunt, ut dum aliquis homo nomine ille solemniter sibi ambulabat, sic jam dictus ille quondam ipsum adfallivit vel insidiavit, & res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum evaginato gladio venit, unde livores vel capulaturæ atque colaphi manifesti apparent. Ideo etenim, dum sic veritas comprobatur, veniens jam dictus ille adprehensam manum vel arma prædicti iudicis, sicut mos est, apud homines duodecim manu sua tertia decima dextratus vel conjuratus dixit quod dum ipse solemniter

Tom. II.

sibi ambulabat, jam dictus ille quondam cum malo ordine adfallivit, & evaginato gladio super eum venit, & super ipsum livores vel capulationes misit, & res suas illas ei diripere voluit, & postquam istos præsentem livores recepit, necessitate compulsus ipsum plagavit per quem mortuus jacet, & in sua orta contentione vel in sua movita atque per suas culpas ibidem interfectus fuit. Et sic est veritas absque ulla fraude vel concludio, & in sua culpa secundum legem ipsum ferro battudo fecit. Proinde opportunum fuit ipsius illi ut hanc noticiam ad instar relationis exinde accipere deberet. quod ita & fecit. Sed postea verò taliter in jam dicto loco ipsius illi iudicatum fuit ut in noctes quadraginta apud homines triginta sex manu sua trigesima septima jam dicto illo quondam in Ecclesia illa, in loco nuncupante illo, conjurare debeat apud homines visores & cognitores eò quod ille quondam malo ordine super eum venisset, & res suas ei contendisset, vel primitus ipsum plagasset vel livorasset, & ipsum in via adfallisset vel insidiasset, & in sua movita vel in sua culpa ibidem interfectus fuisset. Et si hoc facere poterit, de ipsa morte quietus valeat residere.

*Breve sacramenti.*

XXXI. Breve sacramenti qualiter ingressus est ille in loco nuncupante illo, in Ecclesia illa, sub præsentia illius iudicis vel bonorum virorum qui subter tenentur inferti, ad placitum suum custodiendum. Vnde retroactis diebus quadraginta relationem de morte illius per iudicium bonorum virorum accepit, juratus dixit. Per hunc locum sanctum & Dei reverentiam, dum ego solemniter mihi ambulabam, jam dictus ille quondam in loco nuncupante illo me malo ordine adfallivit vel livoravit, & colaphos super me posuit, & ad rapinam vel ad insidiam super me faciendam adstetit, & res meas mihi malo ordine diripere vel tollere tentavit. Et ego in sua orta contentione vel in sua movita atque per sua culpa in ipso loco ipsum interfeci. Et per reverentiam istius sancti & Deo altissimo similiter testes sibi similes visores & cognitores, secundum quod ei iudicatum fuit, post ipsum juraverunt ut quicquid jam dictus ille de hac causa juravit, verum & idoneum sacramentum exinde dedit. Id sunt qui hoc sacramentum exceperunt, manibusque eorum subter firmaverunt.

H h ij